



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Crederè.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

CONCUBINARIJ

AN Episcopus possit procedere concubinarios alias quam vigore & ordinatione fac. Conc Trid.

Respondetur, quòd sic, Nav. *conf.* 7. *de offic. ord.* vide Bull. Pij V. *quæ est* §. *incipit, cum primùm,* & D. Ant. 2. *p. tit.* 9. c. 10. §. 1. *vers.* 6. Major. 4. *Sent. dist.* 9: *in si.* Ion. *in c. fraternitatis,* num. 3. *de heret.* Nav. *in c. 1. §. laboret.* num. 10. *de pæn. de 6.* ubi habetur clericum-concubinarium non esse suspensum, accedit quòd infamis non dicitur quis nisi post sententiam, Caputa. *dec.* 9. p. 2.

C R E D E R E.

PRimò, credere Cardinali afferenti aliquid, an, & quando teneamur, vide *in vers. Cardinales,* §. 2.

Secundò credere an teneatur filius matri, afferenti se emisisse votum religionis, vel natum ex adulterio?

Respondetur negativè à Nav. *conf.* 2. *de test.* & Sylv. *in ver. adulter.* §. 2.

Tertiò, credere bona fide alicui viro bono, & prudenti, regulariter excusat ab omni peccato, Nav. *conf.* 2. *de pæn. & remiss.* imò credere consuleri tibi de re aliqua dubia, non peccat, etiamsi quod agit esset divina, vel naturali lege prohibitum, non solum humana, idem *conf.* 66. *de sim.* quod facit pro scrupulosis, & credulitas iusta excusat à peccato, idem *conf.* 4. *de pras.* & vide *in pract. mea pæn. cap. ultim.*

CONSECRATIO, SEU BENEDICTIO.

Moniales non virgines, etiam violenter, etiam occultè, non possunt consecrari velo virginittatis, sed solum possunt accipere velum professionis. & est ratio, quia velum consecrationis solum datur virginibus: constat enim omnia, quæ dicuntur in illa cæremonia, competere virginibus, Host. *in sum. tit. de temp. ord.* §. *quo tempore,* n. 5. Abb. *in c. tua,* nu. 3. *de conf. Eccl. vel alt.* tamen potest Episcopus consecrare monialem, non virginem occultam, mutando verba virginittatis in verba castittatis, & hoc quando adesset aliqua necessitas, ut quia fuit electa in Abbatissam, quæ debet esse consecrata in ea regula, in qua consecrari consuevit, sed in Regula sancti Francisci solum sumitur verbum professionis, Sylv. *in ver. consecratio,* & vide in practica.

Quo tempore possint consecrari virgines moniales? Respondetur ex Host. *loc. cit.* num. 3. præter octavam Paschæ & Epiphaniæ etiam Dominicis diebus, & omni tempore, stante necessitate.

C O N T R A C T U S.

PRimò, an sit licitum emere censum ad certos annos, putà, sex, decem, quindecim, aut viginti, responderetur, quòd sic, quando pensio omnium illorum annorum non est major, quam pretium, quod pro illa accipitur, putà si quis